

QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS MANE DISCUTIENDA IN SCHOLIS MEDICORUM,

Die Jovis 30 Martii 1719.

M. ANTONIO PEPIN,

DOCTORE MEDICO, PRÆSIDE.

An optati cibi Digestio felicior?

I.

PRESSIONE vasorum continuâ, sanguinis præterfluentis impetu, quæ fovetur œconomiæ animalis integritas, deteritur sensim & collabascit. Venturam inde totius corporis ruinam imminentem licet, morantur & arcent ad tempus, ingesta felicioris digestionis alimenta. Feliciorem intellige, non quam alimenta melioris succi, aut potus generosior induxerit. Talem asseras, quæ debitam vasis nutriendis materiam subministrat: His dotibus instructa erit, quæ primam in ventriculo coctionem passa, nihil vitii secum apportabit, aliis coctionibus nusquam emendandum. Hanc tibi suppeditabunt cibi, quos in ore salivâ

uberiori maſticando perfuſos, ejuſdem indolis liquoribus, œſophagum & ventriculum præterlabendo, irroratos, vividiùs & alacriùs oſcillantes ventriculi & circumjacentium partium fibræ ſibi obſecundantes offenderint. Digeſtio itaque ut ſimpliciſſima eſt operatio, ſic eo potiſſimùm fine à naturâ inſtituitur, ut ad nutritionem neceſſaria concilietur alimentorum fluxilitas. Hanc non tam principiorum, quàm integrantium particularum diſſolutionem eſſe arbitreris.

I I.

ESSENTIALES alimentorum partes digeſtione diſſolvendas eſſe nuſquam concipiat naturæ ſimplicitatis amans. Separari non immutari indiget nutritionis materies: hinc ſi animantia & vegetabilia exceperis, cætera corporis nutritioni inepta, ut pote vaſis aut ſuccis analogis deſtituta pronunties. Quæ ex cibis attritis elicitur digeſtione materies, formam mutat non caracterem; naturæ ſuæ tenax, hanc retinet nec aliam induit. Digeſtionis igitur & nutritionis æqua neceſſitas, mutua opera: mutuam appella, quarum utraque ſic à ſe invicem pendet, ut una in alteram facilè tranſeat; ut enim digeſtione paratur nutritionis materies futura, ſic nutritione digeſtionis facilitas conciliatur. Utraque fluiditatem alimentorum, horumque cum partibus reſarciendis proportionem & ſimilitudinem requirit. Vaſa nutritione reparanda, vaſorum materiaturas ſupponunt digeſtione diſſolutas. Quid autem ad diſſolvendum potentius, quàm uberior laticis aquoſi copia, ſi prævia inprimìs fuerit diſſolvendorum comminutio, magis ac magis eundo perficienda. Salivæ igitur, liquoris œſophagei & gaſtrici proventum largiorem ne mireris; non minori indigebat ciborum ſingulis diebus ingerendorum moles, quorum inde tritura facilior, accuratior diſſolutio.

I I I.

PRÆCIPUA hæc eſſe debet aſſumendi cibi conditio, palato arridere. De ſalubritate aut inſalubritate parum ſollicitus ſanus homo, qui & bene valet & ſuæ ſpontis eſt, quem nullis idcirco obligatum legibus eſſe convenit, cibum illum eligat, quem ſibi jucundiorem, minùs tamen noxium experietur. Talem Divini Senis adductus conſilio, meliori quidem, ſed minùs grato anteponat. Hujus præcepti mentem inquiris? hanc tibi revelabit jam allata digeſtionis doctrina. Quidquid palato ſapit, ſalivam movet uberiorem: hujus proventu largiori dum exoptatus cibus perfunditur, faciliorem parat ſui

ipsius dissolutioni viam. Mollior inde factus, minorem opponit prementibus eum undequaque & terentibus organis obicem. Hæc, si dentes exceperis, oscillantibus continuò fibris conflantur, quarum eò vividior & alacrior fuerit motus, quò majori lymphæ copiâ irroratæ, flexilitatis suæ tenaciores futuræ sunt. Huc potissimùm facit largior œsophagei & gastrici liquorum proventus; neque enim totus cibis molliendis & perfundendis insumitur, quin potiùs meliori sui parte fibrarum flexibilitati conservandæ natum existimes.

IV.

INTER corpus & animam mutua necessitudo, positis quibusdam illius motibus, certas in animâ cogitationes excitat & vicissim. Inde vera innotescit felicioris ab optato cibo digestionis sperandæ causa. Mentem jucundè afficit rei alicujus exoptatæ præsentia: sanguinis inde velocitas major, copiosior ad organa secretiora affluxus, eorumdem pressio vividior, secretionis ipsius facilitas. Saliva ergo assumpto suaviore cibo uberior ad os deferetur: nusquam suis operibus natura deest; sic, quam partibus nutriendis necessariam novit ciborum dissolutionem, omni ope molitur. Dissolutionem, inquam, quâ totum omne digestionis artificium contineri suadet partium nutriendarum indoles. Cujusnam sint interrogas? vasa sunt, vasorum proinde similium moleculis reparanda. Digestionem itaque molecularum ejusmodi nutriendis vasis appositarum sejunctionem dicas & separationem; quas ad nutritionem apponit vasorum pressio & succi præterlabentis impetus, easdem ventriculi actione, lymphâ priùs uberiori perfusas, in digestionis negotio separari ne dubites. Vasorum oscillantium & ventriculi eandem esse vim ac potentiam evincit similis utriusque textura, quæ ex villis à naturâ contractilibus coaluit. Quid! si ab optato cibo, auctâ sanguinis velocitate, superior evadat ventriculi actio; hinc enim ut salivæ, cæterorumque succorum digestioni famulantium secretio copiosior, sic ciborum assumptorum facilior erit comminutio.

V.

NE ciborum quos appetis vires ac dotes scrupulosiùs inquiras. Ut sano varium vitæ genus esse debet, sic in eligendis cibis naturam sequaris ducem: Εὔχυμον negligas interdum, ut illaudabiliori, si palato magis arrideat, indulgeas. Atque ut optima sæpe remedia pauperrimus quisque cœnat, sic ex cibo viliori succum, si non laudabilem, saltem naturæ minùs infen-

ſum ſperes : ſat laudabilis erit, qui prævià digeſtione eam nactus fuerit indolem, quæ deperditarum partium poſſit jacturam reſarcire ; hanc habebit qui copioſo latice perfuſus, ventriculi actione planè ſubactus fuerit, & in minima diviſus. Tot bona ab optato cibo ſperanda eſſe confidas : hujus præſentia ſanguini ſtimulos addendo, ſecretiones promovet, fibrarum oſcillationes accelerat. Adeo ſtupendum animæ in corporis machinam imperium : ſaliva ergo copioſior cibos optatos irrorabit : ſalivæ æmuli ab œſophago & ventriculo ſtillantes indeſinenter lymphatici ſucci, hos intimiùs peruadent ; ventriculi fibrarum oſcillatio vividior erit & alacrior, ingeſtorum ulterior attenuatio, facilior diſtributio ; totidem felicioris digeſtionis argumenta.

Ergo felicior optati cibi digeſtio.

Proponebat Pariſiis GUILLELMUS DE MAGNY, Pariſinus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. MDCCXIX.

Typis J. QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi.